

1341

A quo urbs
 tribus Di-
 vis liberata
 Nicolao,
 Georgio, &
 Marco.

piscatori cuidam ea nocte visa traduntur. Appulerat is, quum tempestatem instare vidisset, circa ripam quæ Aureæ ædi propinqua est; piscatoriam cymbam, seque in opertum, quod vicino loco erat, trepide reperat: tum omnibus aqua ventoque strepientibus, ad illum tres venisse dicuntur, qui velut magno aliquo urgente negocio petere cœperunt, ut se ad Nicolai ædem, quæ in rivo est, quam primum trajiceret: quod ille magnitudine tempestatis deterritus negavit se factum. Tum eos quasi per se ituros, confestim in cymbam consendisse: quod ipsum piscator intuitus, quanquam invititus se illis remigem præbuisse. Ubi vero ad ædem ventum est, tum conversos ad fauces portus, in quem (ut postea creditum est) navis cacodæmonum plena delata erat, divino imperio illam fluctuanti pelago mersisse: ad quod subita aquarum tranquillitas fit secuta. Tum vero ex illis unum proximam ædem subiisse: alterum ad Georgii fanum devectum: tertium pristinam cymbæ stationem cum pescatore repetisse: a quo (quanquam animus ob ea quæ viderat, non erat omnino religione liber) naulum tamen senex petere non dubitavit. Cui ille, *Ibis*, inquit, *ad Principem & Patres*: *ii sane tibi mercedem vel cumulatissimam persolvent: quibus memineris ordine enarrare, quæcunque hac nocte vidiisti.* Haud mibi credent, ait pescator: *qui scio me pro ludibrio in ora omnium iturum, si temere hæc in vulgus referre ausim.* Ad hæc Divus ille, *Accipe*, ait, *hoc pignus (simulque ei annulum, quem in manu habebat, tradidit) Nuncia Duci*, inquit, *& Patribus, nostra opera civitatem hac nocte horrendo diluvio liberatam.* Et ne quid erres, eum quem suam ædem subeuntem vidisti, *Divum Nicolaum esse non ignores, quem vos nautæ imprimis veneramini: alterum Georgium, qui & ipse suum fanum invisit: me vero Marcum Evangelistam, vestræ urbis parentem;* atque cum his ex illius oculis evanuisse. Eo pignore senex confirmatus, ubi primum illuxit, in curiam ascendit. Hic quum dixisset, esse rem arduam, ob quam opus esset se ad Principis conspectum adduci, mox ad illius & Patrum præsentiam admissus, omnia quæ viderat audiveratque, ordine enarrat. Inde in eorum quæ dicta essent fidem,